Q. D. B. V

DE SCVRRILITATE ALEAE

PRAESIDE

AVGVSTINO A LEYSER

DYNASTA IN NVDERSDORFF CET

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET PRINCIPI ELECTORI SAXONI A CONSILIIS AVLAE AC IVSTITIAE CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS AC SCABINATVS ASSESSORE PRIMARIO ET ORDINIS IVRIDICI ORDINARIO

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO SVMME SANCTEQVE DEVENERANDO

IN ACADEMIAE VITEMBERGENSIS *AVDITORIO IVRIDICO*

DIE IVNII ANNO MDCCXLVIII

HORIS CONSVETIS

PVBLICE DISPVTABIT

LVCAS POLYCARPVS CRANACH

VITEMBERGENSIS

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA

Biblioteca Nazionale Napoli

ILLVSTRISSIMO

COMITI AC DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO GOTTLIEB

AB HOLZENDORF

DYNASTAE CLIENTELARVM BAERNSTEINII

ET STRASGRAEBGEN CET

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS

AC SERENISSIMI SAXONIAE PRINCIPIS

ELECTORIS

CONSILIARIO INTIMO

SACRI SENATVS IN SAXONIA SVMMI

PRAESIDI SPLENDIDISSIMO

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

MAECENATI ET LITERARVM STATORI

GRATIOSISSIMO SAPIENTISSIMO

Digitized by Google

HOC

QVALECVNQVE INGENII SPECIMEN

SVMMA PIETATE

OMNIQVE ANIMI RELIGIONE

D. D. D.

LVCAS POLYCARPVS CRANACH

VITEMBERGENSIS

COMES ILLVSTRISSIME
DOMINE EXCELLENTISSIME

Si quod unquam tempus Academiae noſtrae laetum illuxit ac ſalutare, hoc certe tempus eſt illud, quo, C O M E S I L L V- S T R I S S I M E, *ad eam conſtituendam, tanta aduenisti benignitate, quanta literas ipſas ſoles indulgentiſſime complecti. Quo fit, ut publice priuatimque omnium ora oculoſque in* TE *conuertas, omnibus etiam uenerabundam iniicias admirationem. Liceat,* DOMINE GRATIOSISSIME, *in huius gaudii publici ſocietatem uenire, et reuerentiam obſequii demiſſiſſimi in publicum proferre. Qua quidem pietate permotus, hanc diatriben* SPLENDIDIS-

 SIMO

SIMO TVO NOMINI conſecro, ut aditum mihi parem ad tanti ſacrorum literarumque Statoris gratiam. Nihil quidem in ea reperitur, quod dignum ſit perſona in tam Illuſtri Dignitatis gradu conſtituta. Ingenii autem mediocritatem complebit officii religio, qua merita TVA in rem publicam omnem immortalia ſempiterna proſequar ueneratione, qua ſalutem TVAM cum felicitate communi coniunctiſſimam in ſeros annos TIBI ſanctiſſime comprecabor florentiſſimam, qua res ſpeſque meas praeſidio TVO optimo cuique paratiſſimo ſubiectiſſime permittam

COMES ILLVSTRISSIME
DOMINE GRATIOSISSIME
EXCELLENTIAE TVAE

obſequio perpetuo dicatiſſimus
LVCAS POLYCARPVS CRANACH
VITEMBERGENSIS

Digitized by Google

I. *Explicatur titulus,*
II. *et propoſiti ratio.*

De ſcurrilitate aleae diſputaturus pauca, quae ad meliorem huius inſcriptionis intelligentiam facere poſſunt, praemonebo. Nomino ſcilicet aleae ludum non abſolute ſcurrilem, ſed ex opinione Romanorum, qui illum ſcurrilem et turpem, grauibuſque uiris indignum eſſe crediderunt. Quam tamen Romanorum opinionem temperamentum aliquod admittere, quantum per uirium tenuitatem licebit, euincam. Sed ante omnia de ludorum uirtutibus ac uitiis quaedam praefabor.

III.

Digitized by Google

III. Deſcribitur ludus, qui,

IV. tanquam actio per ſe bona, iure naturali non modo permittitur, uerum etiam quodammodo praecipitur.

VARIAE ludorum ſunt ſpecies, quas omnes una definitione complecti, difficile eſt. Generaliter quidem omnia, quibus animus recreatur, corpuſque reficitur, oblectamenta ludi nomine uenire poſſunt. Ita iocoſae confabulationes, quas de ALCIBIADE praedicat NEPOS *in fine C. 2.* ita iucunditates, quas hortos et prata peragrando percipimus, imo ipſi illi labores, qui iocum et riſum potius quam ſerii aliquid intendunt, ludi nomen merentur. Ita muſica arte ludimus, ut HORATIVS ait:

- - - Vacui ſub umbra
Luſimus tecum - - -
Barbite. [a]

Specialiter ludus lucratiuus deſcribitur conditionata aliqua donatio in caſum uictoriae. Ludi autem, ſiue gratuiti ſiue lucratiui, ut PVFENDORFIVS [b] recte dicit, in ſe nihil naturaliter

a) *Carm. Lib. I. Od. XXXII.*
b) PVFEND. *in I. N. et Gent. L. V. C. 9. §. 5.*

raliter iniqui continent, quoniam leges naturales non adeo durae ſunt, ut perpetuis nos laboribus diſtineri uelint. Imo praecipit etiam lex naturae ludos, quia ex aſſiduitate laborum animorum hebetatio naſcitur et languor, adeo animum rebus agendis intentum remittere neceſſum eſt.

Quod caret alterna requie durabile non eſt, [c]

et *quondam cithara tacentem*
Suſcitat muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo. [d]

Non poſſum ergo accedere CARPZOVIO,[e] qui omnes ludos non modo cum regula iuris naturalis pugnare, uerum etiam iuri diuino poſitiuo contrarios eſſe, quibuſdam rationibus, et pluribus locis ex Sacro Codice collectis probare contendit. Verum enim uero, ludum cum regula iuris naturalis haud pugnare ex antea dictis clarum eſt, et contrarium eum eſſe iuri diuino poſitiuo, loca a CARPZOVIO allata non euincunt. Deinde CARPZOVIVS de tali ludo loquitur, qualem ego hic non defendo, ſed quem OVIDIVS[f] deſcribit:

 Dum

c) OVID. *Heroid IV. u. 89.*
d) HORAT. *Od. Libr. II. Carm. 10.*
e) CARPZ. *in Reſp. Iur. Lib. VI. Tit. 10. Reſp. 96. N. 2. et in Pract. Crim. P. III. Q. 134. N. 3. 4. 5.*
f) OVID. *Art. Amat. l. III. u. 369. ſeqq.*

Dum ſumus incauti, ſtudioque aperimur in ipſo
Nudaque per luſus pectora noſtra patent,
Ira ſubit, deforme malum, lucrique cupido
Iurgiaque et rixae, ſollicituſque dolor.
Crimina dicuntur reſonat clamoribus aether
Inuocat iratos et ſibi quiſque Deos.

Et ipſe tandem huic ſuae ſententiae tam arctos ponit limites, ut exceptiones ipſam, quam facit, regulam funditus euertant. z

V. Ludorum abuſu reipublicae nihil poteſt eſſe perniciosius.

VI. Propterea Romani aleam tantopere odio habuerunt.

Eandem rem, et ſalutiferam nobis eſſe, et ſummam, ſi ea contrarie utamur, perniciem, contrahere poſſe, non ex ſcholis medicorum duntaxat, uerum ex omni uita diſcimus; idemque in rebus etiam politicis uſu uenire, uel ex ludorum exemplo apparet. Quo magis enim ludus, regulis rationis conueniens, et animi recreandi cauſa inſtitutus, ipſi reipublicae oblique commodo eſſe poteſt: tanto pernicioſior

z) Carpz. *in all. Pract. Crim. N. 14. 15. 16. et 34.*

ſioſior et publicae ſaluti funeſtior eſt damnabilis in ludo exceſſus. Siquidem auri ſacra fames lucrique cupido, quando mortalia inuadit pectora, auertit ciues a cura publicae ſalutis, qui, dum auiditate nefanda inhiant facultatibus alienis, quas facillime ſe per ludum et aleam conſequi poſſe putant, ceteros relinquunt labores, quibus ſibi ſuiſque uictum, honeſte poſſint parare. Semet ipſos bonis, quae adhuc habent, ſpoliant hoſtiliter. Tum dolor amiſſorum bonorum, quae aleae imprudentiſſime impoſuerunt, ad iram eos commouet; Ira commoti iniurioſe tractant colluſores omni caede aliiſque immenſis flagitiis ſaeuiunt, horrendas euomunt blaſphemias, et, ut in ſummam dicenda contraham, turbant omnem reipublicae tranquillitatem, Deumque ſibi reddunt iratum. Quapropter non errare mihi uidetur MVLLERVS *in Notis ad* STRVVII *Syntagma Iuris Ciuilis*, b) qui aleatores omnia Decalogi praecepta uiolare ait, STVKII allegans tractatum de uariis ludorum generibus. Nec ueteribus Chriſtianis uitio uertendum eſſe, putauerim, quod aleam inuentum crediderunt diaboli, et hinc in baptiſmo

b) Vid. PETR. MVLL. *Not. ad Struu. S. I. C. Tit. de Aleat. th. 56.*

ut ceteris operibus diaboli, ita et aleae renunciari curarunt.[i] Nulla ſane alia cauſa, quam horrenda, quae ludi abuſus ſecum ducit, crimina, Romanos commouit, ad legem tam duri et horrendi fere carminis condendam, de qua in ſequentibus plura exponendi mihi dabitur facultas.

VII. Palam et publice alea ludere, apud Romanos non modo inboneſtum erat et ſcurrile, uerum etiam infame.

VIII. Priuatim uero indulgere aleae non erat indecorum, quapropter

IX. ſine neceſſitate BYNKERSHOEKIVS *emendare mibi uidetur* VALERIVM MAXIMVM.

ROMANIS, alias facile ſibi ignoſcentibus, nihil tam turpe uidebatur tamque pernicioſum reipublicae, quam nimius aleae luſus. IVVENALIS, elegantiſſimus Poëta, et ſapientiae inter Romanos Doctor communis, inter prima, quae reprehendit, acriterque perſtringit, Romanorum uitia, ponit damnoſam, ut dicit, aleam.[k] Et OVIDIVS, non

i) Vid. STRYK. *Vſum P. mod. Tit. de Aleat.* §. 20.

k) IVVENALIS *Sat. I. u. 88. et Sat. XIV. u. 4.*

non ſeuerus alio tempore morum Romanorum cenſor, aleae ludum tanquam parandi amoris remedium mollibus magis puellis, quam grauibus et honeſtis uiris, dignum credit:

Hos ignaua iocos tribuit natura puellis
Materia ludunt uberiore uiri. [l]

Quin imo CICERO illum omnium hominum nequiſſimum habet, qui non dubitat, uel in foro alea ludere, Liciniumque Denticulam, aleae lege damnatum, ab ANTONIO triumuiro in integrum reſtitutum eſſe, huic maximo crimini uertit in iſta, qua grauiter in eum inuehitur, oratione Philippica ſecunda. [m] Igitur in tanto, quo Romani aleam perſequebantur, odio fieri aliter non poterat, quam ut legibus quoque publicis damnoſus hic aleae ludus coërceretur. Notiſſimum inter ceteras eſt illud Praetoris de Aleatoribus Edictum, [n] quod ex interpretatione PAVLLI ICTI [o] ipſis non modo ludentibus actionem denegat, qua lucrifactam ludo pecuniam iure quodam poſſint poſtulare, illiſque po-

 tius,

l) OVID. *Art. Amat. l.* III. *u.* 381.
m) *Philipp.* II *n* 56.
n) *in l.* 1. *D. de Aleatoribus.*
o) *in l.* 4. *D. eod. tit.*

tius, qui amiſerunt, uel parentibus et dominis illorum, eius repetitionem concedit: uerum etiam, quo eo minus exerceantur eiuſmodi ludi pernicioſi, receptatoribus aleatorum, (quos in hoc edicto aleatores proprie dici animaduerto,) nullum tribuit iudicium, ſi quando de iniuria ſibi illata, furtoque aut alio damno facto conqueri uelint, et ita ad hos publicae legis transgreſſores puniendos cuiuis ex populo faſces delegat. Praeterea *l. 26. D. de iniuriis et famoſis libellis*, nonnunquam actionem iniuriarum concedit patri et domino contra illum, qui filium uel ſeruum ad aleae ludum induxit. Quin imo duabus hiſce legibus durior adhuc eſt *l. 225. D. de V. S.* quae fures, adulteros, et aleatores pari paſſu iubet ambulare, et ita infamiam aleatorum ſatis clare demonſtrat. Ea uero, quae hactenus adduxi, quaeque ſcurrilitatem non modo, ſed etiam turpitudinem aleae probare ſufficienter mihi quidem uidentur, procul dubio ſtudium et ingenium excitarunt perplurium criticorum ad emendandum VALERIUM,[p] qui MVCIVM SCAEVOLAM augurem uel pontificem, (in tanta enim opinionum uarietate ſuſpendimus iudi-

p) VAL. MAX. *dictor. factor. memorabilium L. VIII. C. 8. §. 4.*

iudicium,) ſcurrilitate uidetur accuſare. Quilibet eorum VALERIVM aliter legit, SCAEVOLAMque ſtudet uindicare a ſcurrilitate, ſolitam criticorum in auxilium uocans interpretandi licentiam. Miſcuit ſe grauibus hiſce uiris decus illud quondam Batauorum et elegantiſſimus alias iuris noſtri enucleator CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK, ſ) ſuoque magno confiſus ingenio, omnem dubitationis nodum emendatione quadam ſolutum opinatur. Mihi non ita. Sed ipſum apponam VALERII locum: *Alueo quoque et calculis, uacaſſe interdum dicitur*, (SCAEVOLA) *cum bene ac diu iura ciuium et caerimonias Deorum ordinaſſet: ut enim in rebus ſeriis Scaeuolam, ita et in ſcurrilibus luſibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem eſſe non ſinit.* Duriorem hanc uulgatam VALERII lectionem credit illuſtris VAN BYNKERSHOEK, quam ut defendi poſſe, uideatur. Quem in finem uoci ſeu uerbo ſcurrilis ſubſtituit uocem turrilis, turrem ſc. ſeu turriculam uaſculum illud fuiſſe, ex quo tali et teſſerae eiicerentur, putat, luſumque turrilem cum aluei luſu unum eſſe eundemque

ſ) *in Praetermiſſ. ad l. 2. D. de Orig. Iur. ad ſ. 41.*

demque ſibi perſuadet. Tametſi autem dare id uellem BYNKERSHOEKIO, quod turrilis ludus cum aluei luſu plane conueniret, turriſque illud denotaret uaſculum, ex quo tali emitterentur atque teſſerae, neſcio tamen, an mutato ita nomine ſcurrilitatis, res ipſa, ſcurrilis inhoneſta et turpis ſi eſſet, mutaretur. Mihi itaque, ſi quid iudicare poſſum, emendatione res indigere non uidetur, neque enim communem VALERII lectionem adeo duram credo, ut plane defendi poſſe nequeat. Equidem non inficior, palam et publice alea ludere, propter damna potiſſimum, ex immenſis, quae hoc modo fiebant, impenſis prouenientia, nec non ob uarias, quae inter aleam exerceri ſolebant, illicitas artes, turpe Romanis fuiſſe atque prohibitum. Tantum autem aberat, ut priuatim, et ad animi ſaltem recreationem atque requiem hunc ludum exercere fuiſſet interdictum, ut potius illud ipſae leges permitterent. r Id quod etiam probant magnorum uirorum exempla, quos iiſdem non modo ludis uacaſſe, uerum etiam ipſis aliquando puerorum luſibus fuiſſe delectatos, Auctores referunt.

CICE-

r) Vid. *l. 4. D. pr. de Aleatoribus.*

CICERONEM rurſus facio dictorum auctorem, qui ſocerum SCAEVOLAE, C. LAELIVM, quem alio loco [s] ſapientem nominat, cum SCIPIONE, ſummo in republica uiro, puerilia ſaepius tractaſſe, recenſet. [t] Locum illum probationis gratia totum huc transferre oportet. *Saepe*, ibi inquit CRASSVS, *ex ſocero meo audiui, cum is diceret, ſocerum ſuum Laelium cum Scipione ſolitum ruſticari, eoſque incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, cum rus ex urbe, tanquam e uinculis, euolauiſſent. Non audeo*, pergit, *dicere de talibus uiris, ſed tamen ita ſolet narrare Scaeuola, conchas eos et umbilicos ad Caietam et Laurentum legere conſueſſe, et ad omnem animi remiſſionem, ludumque deſcendere.* Haec ille de tantis uiris. Sed magnos quoque praeterea principes ſine ullo dedecore his ludis, etiam palam, oblectamenti tantum gratia indulſiſſe, memorat SVETONIVS de AVGVSTO Romanorum patre patriae, et ipſis ab AVGVSTO ſcriptis literis confirmat. [u] Omnia ibi dicta uerbotenus hic apponere non uacat, ſed breuibus ſaltem ex iis

s) Vid. *Offic. L. II. C.* 11. et *L. III. C.* 4.
t) *de Orat. L. II. n.* 22. 23.
u) Vid. SVETON. *in uita* AVGVSTI *C.* 70. 71.

colligo, quod ille, quem AVGVSTVS de ſe narrat luſus, innocenter et γεροντικῶς, ſeu tali uiro digne fuerit peractus, ideoque omni caruerit infamia, nec odioſa aliqua laborauerit ſcurrilitate. Inprimis autem monere attinet, quod ludi, quos ſcurriles hic uocat VALERIVS, interprete CICERONE,[x] fuerint quidem ludi leues ac futiles, quibus tamen uiri graues non, niſi in occulto, ſcurrae uero et alii uiles homines, palam, id eſt, coram pluribus,[y] indulgent. Hos autem ludos leues graues et honeſtos uiros dedecere eo minus credo, quum melius omnino ſit, aliquid agere, quo animus ad nouos labores reficiatur, quam tempus languenti quodam otio conſumere. Certe grauibus etiam uiris ignoſcendum eſt, ſi forenſibus negotiis atque urbano opere animi eorum defeſſi geſtiunt, ac uolitare cupiunt uacui cura atque labore, ut ait CICERO loco iam allegato. Nec denique aliquam BYNKERSHOEKII ſententiae auctoritatem conciliat uox turrilis. Etenim turriculam nouam ac inuſitatam in alcae ludo uocem eſſe, ſatis conſtat, quum uaſculum illud, ex quo tali atque teſſerae

x) *L. II. de Orat. C. 60.*

y) *L. 33. D. de Verb. ſignif.*

ferae eiiciebantur communi nomine uocaretur pyrgus, fritillus ſeu fritillum. Sic IVVENALIS:[z]

Ludit et heres
Bullatus, paruoque eadem mouet arma fritillo.

Item MARTIALIS:[a]

Nec timet Aedilem moto ſpectare fritillo.

His itaque poſitis, quum tantum ex alea SCAEVOLAE non imputari poſſit dedecus, ut emendatione opus ſit lectionis Valerianae, non adeo neceſſariam puto BYNKERSHOEKII correctionem, quam alias magni me ſemper facere, ingenue profiteor. Ceterum quid ueri aut falſi dictis hactenus inſit, ſapientum uirorum iudicio facile committo, illos uero contradicentes minime curo,

Qui turpe putant parere minoribus atque
Quae pueri didicere, ſenes pendendo fateri.

X. *Abutitur ludo, qui res extra commercium, uel bona ei imponit pretioſiſſima.*

XI. *Nec tamen hoc dici poteſt de militibus, qui uitam aleae committere iubentur.*

z) IVVEN. Sat. XIV. u. 5.

a) MART. Epigr. L. XIV. Ep. 1. L. IV. Ep. 14. L. XI. Ep. 7.

Digitized by Google

LVDVS, cuius principalis finis eſt animi corporiſque a labore refectio, degenerat in peſſimum reique publicae perniciosiſſimum malum, quando nimium pretium ludendi cupiditati immolatur. Intereſt enim reipublicae ne quis re ſua male utatur. Queritur IVVENALIS, quod ſuis temporibus

Neque loculis comitantibus itur
Ad caſum tabulae, poſita ſed luditur arca. [b]

Impium omnino eſt, et contra omnem humanitatem illud, quod de aleatore quodam refert PETRVS PANTOIA DE AIALA, ICtus Toletanus,[c] qui agrum, in quo poſiti erant illius parentes, pro ludi pretio dedit: Veſanius tamen nihil eſſe poteſt, illa priſcorum Germanorum temeritate, qua in defectum omnium rerum, ipſam libertatem, rem inaeſtimabilem,[d] aleae commiſiſſe iactui, et, qui perdiderant, conſtanti animo duriſſimam ſeruitutem ſubiiſſe feruntur. Ita nempe TACITVS de illis: '*Aleam*, inquit, (quod mirere)

b) *Sat. I. u 88.*

c) *In Comment. ad Tit. D. et C. de Aleator.* Vid. OTTON. *Theſ. Iur. Rom. Tom IV. p. 1028.*

d) *§. 7. I. de his, qui et ex quibus cauſ. manum.*

e) *De Mor. Germ. C. 24.*

rere) *ſobrii inter ſeria exercent, tanta ludendi perdendiue temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac nouiſſimo iactu de libertate et de corpore contendant. Victus uoluntariam ſeruitutem adit, quamuis iunior, quamuis robuſtior, alligari ſe ac uenire patitur. Ea eſt in re praua peruicacia, ipſi fidem uocant. Seruos conditionis huius per commercia tradunt, ut ſe quoque pudore uictoriae exſoluant.* Sed quid, quaeſo, miramur inconditos priſcorum temporum mores, quum eandem aleam et hodie inter remiges Hiſpanos exerceri teſtetur IACOBVS FALCON, elegans Poëta Hiſpanus, qui ita:

Nunc miſer abraſo capite tenus inguine nudus
Atque etiam multis religata crura catenis
Remum utraque manu ſpumoſa per aequora uerſat
Hoc ſceleris non poena fuit, non ſupplicium nec
Bellonae uulnus: Seſe pro pignore pactus
Alueolo, numerum pedicoſi remigis auxit.
Namque inter nautas ne deſit dedecus ullum,
Non tantum argentum, non tantum luditur aurum,
Sed quoque libertas. [f]

 Quam-

f) *Sat. VIII. de Aleatoribus.* Vid. *Alleg.* PANTOIAM DE AIALA *in* OTT. *Theſ. Tom. IV. p.* 1030.

Quamuis autem haec omnia quam maxime damnanda eſſe cenſeam, trahi tamen id minime poteſt ad iſtam maximi momenti aleam, qua ſubinde, etiam in noſtra Saxonia, malefici de uita ludere coguntur. Notus ſcilicet eſt ille modus inter milites, ubi duo uel plures, qui ſunt in pari reatu, ac ultimum ſupplicium meruerunt, ſorti et aleae uitam committere debent, ex cuius felici euentu illorum pendet a morte immunitas. Hi quidem uere rem aleae imponunt pretioſiſſimam, ſed coacte, iuſſu ſcilicet ſuperiorum, et ita non modo ipſi aleatores excuſantur, uerum etiam ille ipſe modus, quo ſorte decernitur ultimum ſupplicium, minime mihi uidetur uituperandus.

XII. Qui ludum quotidie tanquam artem exercet, ſi non poenam meretur, certe infamiam facti incurrit.

XIII. Haec IVSTINIANVM *mala praecipue mouerunt ad Conſtit. l. ult. C. de Aleatoribus.*

XIV. Cuius legis uſus etiam hodie obſeruatur.

Otiosos ciues ciuitatis peſtem eſſe atque ſentinam, ideoque merito ex illa proſcribendos, optime norunt Lucenſes, qui neminem, niſi laboribus honeſtis uictum quaerentem,

rentem, in re publica eſſe patiuntur.[g] Ad otioſos ciues et inutilia terrae pondera merito ego refero aleatores, qui ceteris, quos in ludendo committunt, exceſſibus hunc adiungunt, ut aleae quotidie tanquam ἔργῳ incumbant, illamque tanquam artem exerceant, id, quod germanice uocamus, die das Spielen zum Handwerck machen. Quos ita hoc ſtudium exercentes illicitis operam dare artibus, quibus fraudulenter aliorum potiri poſſunt facultatibus, fortiſſima eſt praeſumtio, quae ipſo ſaepe confirmatur euentu. In hos itaque tanquam in ſaccularios ex *l. 7. D. de extraord. crimin.* uel tanquam in inutiles et pernicioſos tranquillitatis et ſalutis publicae perturbatores expulſione ſeu relegatione omni iure poſſe animaduerti, credo. Quod uero quum hodie difficiliter accidat, propter ſingularem, qua iſti homines morum bene compoſitorum elegantia, nequitiam ſuam uelant, negari tamen non poterit, illos temporis et aliarum fortunarum helluones honeſtis et grauibus uiris maxime eſſe exoſos, et ita facti, ut ICti dicunt, incurrere infamiam. Mouerunt ſine dubio haec ex ludorum abuſu prouenientia

mala

g) Vid. *Atlant. min. edit. Amſtelod. 1648. ex officina Ianſeniana*, de Republica Lucenſi.

mala IVSTINIANVM, ut in *L. ult. C. de Aleat.* ea, quae a priſcis iam ſancita erant Romanis, non modo repeteret, uerum etiam flagitia iſta magis adhuc coërceret, et condictionem pecuniae luſu perditae per quinquaginta annos duraturam, concederet. Quam IVSTINIANI legem etiam inter nos hodie poſſe applicari nullus dubito. Mores enim illos antiquorum temporum peruerſos et noſtra ſeruari aetate animaduertimus. Ideoque ratione legis nondum ceſſante, nec ipſam ceſſare legis diſpoſitionem, certo credo. Ipſam quoque ex hac lege condictionem per tempus durare ibi conſtitutum, Illuſtris PRAESES meus euincit.[h] Conueniunt praeterea optime cum hac IVSTINIANI lege antiqua patriae iura,[i] nec recentiora illi contradicunt.[k]

XV. Ludus in pleriſque ſequitur naturam donationis.
XVI. Et clericis ludere licet non obſt. Auth. C. interdicimus. de Epiſcop. et Cleric.

CVM ludus eiuſmodi lucratiuus ſit conditionata donatio, ut antea dictum fuit in §. III. donare uero nemo poſſit,

h) *L. Spec. Med. ad Pand. de Aleat. M. 3.*
i) Land:R. *Lib. I. Art. 6.* Weichb. *Art. 101. et 102.*
k) [illegible], Duc Sax Landes-Ordn. *de anno 1485. Tit* Die Spieler und Topler nicht zu dulden. *Ord. Pol. de ann 1661. Tit. VIII. §. 2.*

ſit, niſi qui liberam rerum ſuarum habet diſpoſitionem, arg. *L. 21. C. Mandati. §. 40. I. de Rer. diuiſ. in fine*, et ille, qui ludo perdit, reuera donet, ſequitur, iure communi neminem ludo aliquid poſſe imponere, niſi qui res ſuas libere poteſt adminiſtrare. Quum contra cuilibet poſſit donari, qui conditionem ſuam reddere poteſt meliorem, et pupillus atque minor iure communi ad ludum admitti debere uidetur. Verum enim uero, quoniam ludus mutuam continet donationem in uictoriae euentum, et conditio pupilli ſeu minoris, ſi alter uincat, deterior redditur, nec pupillus, nec minor, ſiue tutore uel curatore ad aleam accedere poterit. Temperauit tamen hoc aliquatenus *Ordinatio* IOANNIS GEORGII II. *Politica de anno 1661. Tit. VIII. §. 2.* quae poſt annum decimum octauum aliquos ludos permittit. Quoſdam etiam maiores, qui quidem rerum ſuarum ſunt domini et adminiſtratores, nihilominus etiam iure communi ludi eſſe incapaces, deprehendo in exemplo Clericorum, quos non modo omni ludorum exercitio interdicit Imperator IVSTINIANVS,[1] uerum etiam ne aliis quidem ludentibus intereſſe illis permittit. Deſcripta fere uidetur

D haec

1) *Auth. C. Interdicimus de Epiſc. et Cler.*

haec IVSTINIANI conſtitutio in *Capitul. Reg. Franc.* quam Conſultiſſimus nobis exhibuit GEORGISCH,[m] ubi haec uerba: *Si quis clericus ad tabulas ludat, uel ſpectaculis adtendat, per tres annos a ſacro miniſterio probibeatur, et ſi dignam poenitentiam fecerit, reconcilietur.* At enim uero omnium legum ratio petenda eſt ex eo maxime tempore, quo latae ſunt. Quodſi itaque ea IVSTINIANI CAROLI M. et LVDOVICI PII ſpectemus tempora, eorumque ultimam repetamus memoriam, uidemus aliam plane rerum eccleſiaſticarum faciem, aliam ipſorum Clericorum conditionem. Volebant nimirum Imperatores iis temporibus Clericis, qui ipſi externi decoris maxime erant ſtudioſi, ſingularem aliquam conciliare uenerationem, quando ab omnibus rebus ſecularibus illos auocarent. Quapropter illos nulla tractare patiebantur negotia ſecularia, nullas in ſe ſuſcipere fideiuſſiones, nihil conducere. Separare illos uolebant imperatores a multitudine, et ita religionem incutere incultis populorum animis et reuerentiam, uti patet ex *Capit. de anno DCCXIV. Cap. IV.* ubi ueſtimentorum quoque

m) Vid. *Capit. Reg. Franc. in Cap. Addit. III. N. LIII. p. 1773.*

que geſſerunt curam. Quam rerum faciem quum hodie uideamus mutatam noſtrique Clerici, tam ſpecioſam actionum externarum ſanctimoniam adſciſcere non opus habeant, et reuerendos maxime illos credamus, ſi iuris diuini poſitiui et rationis obſeruant praecepta, illas, quas attuli, Imperatoris et Regum Conſtitut. hodie non obſeruari concludo. Hinc denique Clericos, quum iure diuino ludo non interdicuntur, nec niſi propter abuſum, iure interdici poſſe humano, arbitror, illiſque ergo et chartis et alea et ſaltationibus uti licere, nullus dubito.

XVII. A ludis hactenus allatis, differunt ludi, qui dicuntur uirtutis.

XVIII. Ad ea pertinent priſca illa torneamenta.

XIX. De quibus abrogatis merito gaudemus.

XX. Ludus, qui audit billardicus, dignus eſt ea, qua gaudet, auctoritate publica.

Qvae hactenus de ludis recenſui, eos tantum attingunt, qui uel ex mera pendent fortuna, uel qui fortuna et arte ſimul peraguntur. Hos inter uetitos à Romanis eſſe

numeratos, ſatis conſtat. Differunt ab his illi, quos *Lex 2. D. de Aleatoribus* recenſet, qui uirtutis tantum exercendae gratia inſtituebantur, et liciti erant. De quibus cum omnes agant Digeſtorum interpretes, nihil ego dicam. Vnicum tantum monebo. Scilicet antiquis Germaniae temporibus ſimulacrum horum ludorum deprehendo in torneamentis ex Gallia in Germaniam translatis;[n] in quibus non modo iidem fere exercebantur ludi haſtae, pugnae, luctae, pili, ſed in magno quoque honore ducebantur. Conſiderabantur enim haec torneamenta tanquam ſcholae bellicae uirtutis, et nemo magis poterat inclareſcere, quam qui uel ex bello, uel ex torneamentis opima ſpolia auferebat. Equidem non nego, digniſſima laude fuiſſe haec iuuenum nobiliſſimorum et militum exercitia, ſi modo iuſtus et certus ſemper illorum obſeruatus fuiſſet modus ac finis. Simulac uero haec belli ſimulacra in uera erumpebant praelia, in quibus ex inani et ridicula gloriae cupiditate horrenda committebantur homicidia, recte faciebat Concilium Lateranenſe, ut iis, qui in tali ceciderant pugna, honeſtam denegaret

n) Vid. DU FRESNE *Gloſſarium ad Scriptores mediae et infimae latinitatis, ſub voce Torneamentum.*

garet ſepulturam.[o] Iniuſte itaque queri mihi uidetur MEICHSNERVS in *Praefat. Specul. Sueuici*, ſeu des Kayſerl. Land- und Lehn-Rechts teutſcher Vorfahren:

Seit die Ritterſchafft Thurnieren vermeidt,
Und die Prieſterſchafft im Harniſch reit,
Und weltlich Münch geiſtliche Pfarr regieren,
Müſſen wir Land und Leute verlieren.[p]

Inter eos ludos, qui hodie apud nos delectamenti quidem cauſa ineuntur, multa tamen arte exercentur, eminere mihi uidetur ludus a Gallica uoce bille, dictus billardicus. Quem ego, quia non modo corpus mirum in modum, exercet, omniumque fere membrorum aptam et firmam operatur compoſitionem, animumque recreat incredibiliter, praeterea plus in arte ponit quam in fortuna, omnique caret fraude, dignum omnino iudico auctoritate illa publica, qua gaudet per Reſcriptum electorale de anno 1716. quod reperitur in *Cod. Aug. Tom. I. p. 1857*.

o) Vid. *C. I. X. de Torneament.*

p) Refer. id STRVKIO in *Vſu Pand. mod. Tit. de Aleator.* §. 18.

XXI. Pecuniae aleae impoſitae uerum hodie committitur furtum.

XXII. De ludo legibus probibito ſponſionem inire, illicititum quidem eſt, punitur tamen mitius.

An pecuniae aleae impoſitae uerum fiat furtum, dubium exiſtere, et negatiua defendi poſſe uidetur, ex hac ratione, quod pecunia aleae impoſita quodammodo pro re derelicta eſt habenda. Nam pro derelicto, ut Imperator ait,[q] habetur, quod dominus ea mente abiecit, ut et in numero rerum ſuarum eſſe nolit, ideoque ſtatim dominus eius eſſe deſinit. Rei uero derelictae, tanquam rei nullius minime committi furtum, ſed rem eiuſmodi eſſe occupantis, leges comprobant.[r] Verum quoniam in alea 1) non uoluntaria rei ſuae eſt derelictio, ſed res relinquitur ui contractus initi, 2) quia derelictio ex certa pendet conditione, qua demum exiſtente, pecunia et res tranſit ex dominio unius in dominium alterius, perfectum et uerum talis pecuniae committi furtum et aequalem furti poenam locum habere,

q) §. 46. I. de Rerum diuiſ.

r) l. 1. D. pro derelicto, et l. 3. pr. D. de Acqu rer. dom.

habere, ſtatuendum eſt. arg. *L. 1. §. 1. D. de Aleat.* Expedita ſic ea ludi, quam propoſueram, materia, agere me tandem oporteret, de ſponſionibus, quae tam inſeparabiliter plerumque cum ludo ſunt coniunctae, ut, ſi non eſſentiale quid, certe naturale ludorum dici queant. Sed figo pedem, et ſi quid adhuc de ſponſionibus dicere dignum exiſtimo, confirmabo ultimam meam theſin, hoc, quod mecum communicauit Illuſtris meus PRAESES, deciſo menſe Ian. 1735. Senatui Graeffenhaynichenſi dato: Es werden die Herrmannin, weil ſie eigentlich nicht geſpielet, ſondern nur gewettet, und Albrecht, welchem als einem Ausländer die Unwiſſenheit der in Sachſen auf die Spiele geſetzten harten Straffe, denen Rechten nach, zu ſtatten kammt, jedes nur zween Tage mit Gefängniß, oder um ein alt Schock, beſtrafft, und die erſte zwey Drittheil, der letzte ein Drittheil, derer verurſachten Unkoſten zu bezahlen angehalten.

V. R. W.

COROL-

COROLLARIA

I.

Qui iurauit, ſe amplius ludere nolle, et nihilominus ludit, poena periurii ordinaria non afficiendus.

II.

Tantum iure communi aliquis ludo perdere poteſt, quantum donatione alienare licet.

Secus iure Saxon. p. Ord. Pol. de anno 1661. Tit. VIII. §. 2.

A61 1473659

Digitized by Google